Index

PHILIPPI INVERNIZI
ROMANI
SACRI CONSISTORII ADVOCATI
DISSERTATIO
AD LEGEM *OMNIA PRIVILEGIA*

XXXV. COD. DE EPISCOPIS . . . MONACHIS

S I V E

DE UTILITATE ET NECESSITATE
ORDINUM RELIGIOSORUM.





ROMÆ MDCCCXV.

TYPIS BERNARDINI OLIVIERI.

Censorum Permissu.

20

SS^MO DOMINO NOSTRO
PIO SEPTIMO
PONT. MAX.

PHILIPPUS INVERNIZI

Adsto tibi, PONTIFEX SANCTISSIME, exiguum studiorum meorum specimen oblaturus: Adsto unus ex filiis innumeris Sanctæ, Catholicæ, atque Apostolicæ Æcclesiæ, quæ te Summum Pastorem, Vicarium Christi, Petri Successorem intuetur, ac su-

spicit : Adsto unus ex civibus , quos tibi Principi Deus Omnipotens regendos , gubernandosque commisit : Adsto denique unus ex iis , quos singularibus beneficiis ornare , atque honestare non dubitasti . Nam ubi ex illo exilio tuo , quo TE inferi portæ conjecerant cum maximo universæ Ecclesiæ detrimento , et ubi mansuetudo , ac pietas tua precibus , et lacrymis , *quae ad aeternum , et invisibilem Deum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehebantur* (*) , hostes universos vicit , ac profligavit , ad Urbem redisti , me et Sacræ Aulæ Consistorialis , et Pauperum Advocatum esse voluisti . Atque hæc summæ beneficientiæ , summæque liberalitatis laus est . Quid de cæteris laudibus tuis dicam , quibus effecisti , ut nemo toto terrarum orbe nomen tuum usurpet , quin ad cælum singularem sanctitatem tuam ; virtutesque eximias efferat ? Cuius quidem rei testes

(*) *S. Hilarius in Matthaeum Cap.* 18. *Edit. Maur.*

sunt maximi Principes, multarumque regionum proceres, et innumeri multarum Europæ provinciarum incolae, qui TE lacrymis, et acclamationibus ut alterum ex LEONIBUS ubique exceperunt, cum Gallias, atque Italiam peragrasti. Atque ut haec omnia missa faciam, quae maxima sunt, quaeque innumeri laudavere, ac laudabunt, unum illud commemorabo, quod pro multis est, TÉ, Romam, atque ad Apostolicam Sedem divino numine restitutum, id primum curasse, ut Ordines Religiosi, inprimisque *Societas* JESU, cuius sunt innumera in Ecclesiam, in omne Literarum genus, et in universam hominum societatem merita, in pristinum statum suum restituerentur. Perge, PATER SANCTISSIME, ut nos Ecclesiam, jam magna ex parte, brevi omnino compositam intueamur. Interea me sacris tuis Pedibus obvolutum rogo humillime, ut benedicas.

DISSERTATIO

AD LEGEM XXXV.

CODICIS DE EPISCOPIS . . . MONACHIS &c.

SIVE

DE UTILITATE ET NECESSITATE ORDINUM RELIGIOSORUM.

Societates virorum, faeminarumque religiosarum humanae societati ac reipublicae non obesse, imo & reipublicae, & universae hominum societati, ac Religioni plurimum prodesse, multorum saeculorum experientia demonstrat. Neque solum utillimae sunt, verum etiam necessariae. Quod cum viderint semper ii, qui cogitare, decernere, imperare rectissime ac sapientissime consueverunt, tum latere non potuit eos, qui Romano Imperio praefuerunt. Etenim vix ubi Romani Principes Christianam Religionem sunt amplexati, fovere eas societates, multisque privilegiis ornare instituerunt. Quorum exemplum caeteri Principes imitati, iidem per totum Orientem, atque in omnibus Europae partibus Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Germania Monasteria condere, ornare, locupletare non dubitarunt.

Jubent Leges Romanorum Imperatorum, ut Societates, Collegia, & Domus virorum, faeminarumque religiosarum ubique locorum possint esse (*Lex* 20. 22. 26. 40. 44. 47. *Cod. de Epis. & Cleric.*, & *Novell.* 123. *cap.* 28.) ut earumdem Domus locorum piorum nomine & jure censeantur (*Lex* 46. 57. *ibid.*) ut eaedem in Monachorum Virginumque sacrarum bona succedant (*Lex.* 20. 55. 56. *ibid.*, *Novell.* 5. *cap.* 5.) ut esse haeredes, acquirere, ac possidere quaecumque bona liceat (*Lex* 20. 44. 53. §. 2. 54. *ibid.*) ut omnes cum eis testamenti factionem habeant, datis etiam privilegiis, ut ea, quae testamentis aliorum debent percipere, sine mora assequantur (*Lex* 46. 49. §. 7. 57. *ibid.*) ut suscipere obligationes, & adesse judicio possint (*Lex* 29 *ibid.*) ut suos praesules, quos quasve dignas putaverint, cum auctoritate ac potestate pro suo arbitratu eligant (*Lex* 47. *ibid.*). Praeter haec in judiciis aut nullas, aut minimas *sportulas* in causis suis dare eas voluerunt (*Novell.* 123. *cap.* 28.), servosque, qui Monasterium, sciente domino, fuissent ingressi, liberos esse (*Lex* 33. *ibid.* *Novell.* 79.). Monachos item ab onere cujusque Tutelae & curae, caeterisque publicis realibus ac personalibus muneribus immunes esse praeceperunt (*Lex* 38. 52. 53. §. 1. *ibid.*), tuendarumque sacrarum virginum causa, leges severissimas tulerunt (*Lex.* 5. & 54. *ibid.* *Lex-Un. Cod. de raptu Virginum*).

Sed memoranda prae caeteris est Lex illa, quam piisssimus fortissimusque Imperator Leo, cum socium Im-

perii *Anthemium* haberet, ad Dioscorum Praefectum Praetorii, Martino & Zenone Coss. dedit, quamque ipse *pragmaticam sanctionem* nuncupavit, ut perpetuo *firma* & *illibata* custodiretur: in qua *omnia privilegia* Monasteriis, caeterisque domibus religiosis, & personis, quae in eis morarentur, earumque rebus irrogata, amplissime confirmavit: explicavitque, id *sibi valde necessarium videri*, quod eo privilegia spectarent, ut etiam viri ac faeminae Religiosae haberent, quae sumptibus necessariis suppeterent. Quibus addidit, ut religiosis Domibus, rebusque earum communia essent quaecumque privilegia Constantinopolitanae Ecclesiae vel irrogata jam fuerant, vel deinceps irrogarentur.

Quot autem fuerint per universum Orientem Europam & Africam virorum faeminarumque religiosarum Domus, facile eae Leges ostendunt, quae *toto titulo Codicis de Episcopis Clericis & Monachis*, saepe jam commemorato, continentur: inter quas Lex extat illa Justiniani Imperatoris (52.), in qua post immunitatem ab omni tutela & cura, Monachis sive datam, sive confirmatam, haec addit: *Hanc Legem non solum in Vetere Roma, vel in hac regia Civitate* (videlicet C. P.) *sed & in omni terra, ubicumque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus*. Quibus verbis ostendit, toto Romano Imperio, quo magna adhuc Asiae, Africae, Europae pars continebatur, virorum, mulierumque religiosarum Domus fuisse. Quod quidem & Leges Codicis Theodosiani (*Lex* 1. 2. *de Monachis*, *Lex* 32. 36. *de Epis-*

copis, *Lex* 16. *de paenis*, *&* *alibi*) & S. Basilius (*Epist.* 207.) & S. Augustinus (*lib.* 2. *Retract. cap.* 21.) confirmant. Innumera quoque Monasteria fuisse per Principes Regesque pientissimos tota Gallia, Hispania, Anglia, Italia, Germania condita, ornata, locupletata, amplissima omnium aetatum monumenta testantur, quorum plurima extant passim *in Libro Pontificali*, quem *Vignolius* edidit, multa *Balutius ad Capitularia Regum Francorum* commemoravit, plurima *in Actis Conciliorum* occurrunt (Vide *Harduinum* praesertim *tom.* 2. 3. 5. *et* 6.); & ne innumeros nominem, omnia fere viri praestantissimi collegerunt, qui vel Monachorum, vel Religiosorum Ordinum, aut singulorum Monasteriorum Historiam, aut Annales literis tradiderunt.

Quid autem in causa fuit, ut tot, tantique Principes toto orbe terrarum virorum mulierumque religiosarum domus extruxerint, ornarint, ditarint? Quia videlicet sanctissime rectissimeque magni animi Principes arbitrabantur, res sibi, universaeque reipublicae bene cessuras, si essent toto terrarum orbe domus locupletes, in quibus viri, faeminaeque, ad sanctissimum ac purissimum vitae genus a Deo vocatae, sese dicare Ei possent, Eique orando, psallendo, curam aliorum gerendo, caste, integreque servire. Nam, ut inquit Justinianus (*Leg.* 44. *Cod. de Episcop.*) cum viri ac faeminae religiosae caste atque integre munere suo funguntur, et ipsis *FELIX vita erit*, *qui solitariam vitam elegerint*, *&* *communis nostrae reipublicae res paratiorem consequentur a Deo Clementissi-*

mo Opem. Quamobrem idem Imperator in alia Lege (57. *ejusd. tit.*) cum privilegia religiosis domibus irrogata tamdiu manere jussisset, quousque venerabiles domus permanserint, haec, quae digna sunt Principe sapientissimo, adjecit: *Maneant autem in perpetuum, et usque ad huius saeculi consumationem, quousque christianorum nomen apud homines erit, et coletur*. Quotquot igitur hactenus fuerunt illustriores praeclarioresque Imperatores, ac Principes, religiosis Societatibus, earumque rebus favere in omni re voluerunt, non modo ne Sanctae Ecclesiae institutis obsisterent, quae eas tuetur ac fovet: Sanctae, inquam, Ecclesiae, quae Regum quoque et Imperatorum est Mater, atque Magistra; verum etiam ne hominum libertati vim inferrent, neve humanae Societati ac Religioni maxima illa bona inviderent, quae ab hominum Religiosorum Societatibus in easdem dimanant.

Quid autem magis homini liberum debet esse, quam ita vitam instituere, uti sibi ad rem omnem expedire cognoverit? Si unicuique licet, aut militiae, aut literis, vel agrorum cultui, vel commercio, vel otio nomen dare; si non reprehenditur, *qui in Saeculi hujus negotia profusus in his, quae mundi hujus sunt, & cito transeunt, detinetur, aut in vanitate sensus ingrediens non profutura diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, aut qui physicus perscrutator oculos trans coelum levat, & ultra profundum terrarum, & abyssi quoddam inane demergit, vel qui Jambum struit, aut tantam metrorum silvam in suo studiosus corde distinguit, & congerit*, verba

sunt S. Hieronymi (*in Epist. ad Ephes. lib. 2. c. 4. v. 17.*) cur licere cuique non poterit, illud vitae genus sequi, quod felices et sanctos facit? Nam S. Augustinus, qui in multis locis librorum suorum eadem docet, postquam libro primo (*num.* 39. & 40.) et secundo (*num.* 20. & 23.) *de Genesi ad literam* de quarumdam artium vanitate inculcat, libro quinto (*num.* 34.) ita gravissime inquit ... *Cum sit incomparabili felicitate praestantius, Deum Creatorem omnium ex quantulacumque particula pia mente sentire, quam illa universa comprehendere. Unde recte culpantur in libro Sapientiae inquisitores huius saeculi. Si enim tantum, inquit, potuerunt valere, ut possint aestimare saeculum, quomodo eius Dominum non facilius invenerunt? Ignota enim sunt fundamenta terrae Oculis nostris : et qui fundavit terram propinquat oculis nostris*. Idemque alio loco (*Exposit. proposit. in Epist. ad Romanos proposit.* 58.) *Plerumque inanis curiositas*, inquit, *earum rerum, quae inveniri non possunt, aut frustra etiam inveniuntur sive in coelo, sive in abysso, separat a Deo, nisi caritas vincat, quae ad certa spiritalia non vanitate rerum, quae foris sunt, sed veritate, quae intus homines invitat.*

Non immerito fortasse corripies eos, si qui sunt, *qui odio generis humani*, ut inquit Hieronymus (*in Michaeam cap.* 7. *v.* 14.) *vitam appetunt solitariam, qualem Timonem fuisse Athenis legimus*, quem graeci *Misanthropon*, *hominum* nempe *osorem* appellasse, *Diogenes* auctor est (*in Timone num.* 4.). Sed qui vitam solitariam,

idest ab hominum vulgo sepositam appetunt, ut *in saltu habitent*, idest, *ut desudent in Christi opere, & labore, et in virtutum laude versentur*, ut ipse Hieronymus inquit (*loc. cit.*) hi, quod optimum est, jure suo sectantur. *Cum enim Deus homini prae omnibus animantibus rationem, & sapientiam dederit non solum per naturae bonum, sed etiam per gratiae munera*, ut inquit Auctor Commentarii in Job, qui olim Hieronymus putabatur, et quem nunc Philippum Auditorem ejus eruditi esse arbitrantur (*inter opera S. Hieron. Vol. 3. pag.* 887. *Edit. Vallarsii*) quis privare eum arbitrio poterit, quominus et ratione et sapientia utatur, ut, quod optimum est, sequatur.? quis eum jure spoliabit libertate, *ne spiritualibus deliciis, et voluptate torrentis fruatur*, ut ipsius Hieronymi verbis utar.? (*in Naum cap.* 1. *v.* 19.). Quando igitur ita res a Deo sunt comparatae, *ut Sacerdotium pariter et Regnum, Dei populum regant*, quemadmodum Hieronymus loquitur (*in Zachariam lib.* 2. *cap.* 6. *v.* 9.) nemo quidem arcere quemquam ab illo vitae genere poterit, quod Ecclesia probat, ac laudat, & quod optimum omnium est. *Idcirco Deus*, inquit alio loco Hieronymus (*in Osee cap.* 9. *v.* 8.) *Principes dedit, ut populum corriperent, et ad rectum iter retraherent*. Quod qui faciunt, hi certe sunt illi Principes, de quibus Plato ajebat: *felices fore respublicas, si aut Philosophi regnent, aut Reges philosophentur* (*Vide Hieron. in Abdiam cap.* 3. *v.* 6.). Non enim Philosophos intelligebat Plato, uti nunc est maxima illa imperitorum turba, quorum plenus est orbis, qui

abutuntur hoc nomine, quique aut nullam religionem colunt, quos ne in illa quidem republica sua tolerabat, cuius caeterum tanta erat levitas, et ineptitudo, ut eam *Aristophanes* Athenis in Theatro per Ecclesiazusas irriserit, aut *qui loquuntur, quae nesciunt: docent, quae non didicerunt: magistri sunt, cum discipuli ante non fuerint* (*Hieronymus in Michaeam cap.* 5. *v.* 7.); sed qui sapienter viverent, iisque artibus uterentur, ut alios ad sapienter vivendum excitarent. Nec vocari in dubium potest, quin sapientissimi sint illi Principes, qui rectum iter, veramque sapientiam non monstrant modo, sed sequendam tradunt iis, quos eis Deus regendos, curandosque commisit.

Anima humana, qua nihil pulchrius potest esse, quia condita est a Deo ad imaginem et similitudinem suam propter virtutes, quas Ille ei indidit, inveniendi, disponendi, loquendi, retinendi, pronunciandi, et propter illam vim ingenii, qua *primum intelligit, inde intellecta dijudicat; ut incitetur ad sensus, ut menti sensa commodet; quos habet impetus, quos cogitatus de Deo!* verba *Origenis* sunt, de graeco in latinum a Hieronymo translati (*Homil.* 7. *in Ezechielem Edit. Vallarsii Vol.* 5. *pag.* 950.). Non mirum igitur est, eam optima desiderare, si vitio nostro in deteriora non ruat. *Nulli autem dubium*, ut inquit Hieronymus (*in Matthaeum lib.* 3. *cap.* 18. *v.* 19.) *quin bonarum rerum postulatio sit, ubi corpus ea vult habere, quae spiritus*. Atqui animali vitae toto genere virorum faeminarumque religiosarum instituta cum opponantur, sectari eos constat corpore, quae spiritus appetit. *Separabo me cum paucis*

bonis, inquit Augustinus (*in Psal.* 99. *num.* 10.). *Quid mihi est, rationem habere cum turbis?... Bona cogitatio humana, laudabilis, esse cum talibus, qui elegerunt vitam quietam, qui remoti abs strepitu populari, a turbis inquietis, a magnis fluctibus saeculi tamquam in portu sunt*. Et ut inquit S. Basilius (*Epist.* 207.): *Scire vos volo, nos laudi ducere, quod virorum et mulierum caetus habeamus, quorum conversatio in caelis est: qui suam carnem una cum affectionibus et cupiditatibus crucifixerunt; qui nec de cibis, nec de indumentis sunt soliciti; sed minime distracti, et Domino continenter adstantes noctu diuque perseverant in orationibus: quorum os non loquitur opera hominum; sed hymnos Deo nostro concinunt continenter, operantes manibus suis, ut habeant, unde impertiant indigentibus*. Si optimum sequor, si socios viros omni laude dignos nansciscor, si quietem adipiscor, cur me cogis, in populari turba vivere? Si religio Christianorum est FIDES, quis impedimento caeteris esse poterit, quominus, quae sunt fidei sublimioris, exerceat? Ut enim sapientissime S. Thomas inquit (*in Opusc. contra pestif. doctrin. retrah. homin. &c. cap.* 1.) *Christianae Religionis propositum in hoc praecipue videtur consistere, ut a terrenis homines abstrahat, et spiritualibus faciat esse intentos. Hinc est, quod auctor fidei, et consumator JESUS in hunc mundum veniens saecularium rerum contemptum et facto et verbo suis fidelibus demonstravit*.

Si vero dubitas, an vita religiosa omnium optima sit, te stipitem, fungumque fateris, et ignorare profiteris, tot

illos veteres, recentioresque doctissimos viros, qui rem caeterum planissimam omni adhibita argumentorum suppellectile demonstrarunt. Itaque S. Gregorius Summus Pontifex in Synodo Romana (*apud Harduinum vol. 3. pag. 497.*) non esse impediendos, ait, *qui ad omnipotentis Dei servitium festinant, ut ab humana servitute liberi in divino servitio valeant familiarius in Monasteriis conversari*, ne si a tam sancto vitae instituto retineantur, *illi, qui dedit omnia, quaedam negare inveniamur*. Nam *si Domini est terra, et universi, qui habitant in ea*, invideri ne poterit Deo, omnium conditori ac Domino, si pars hominum sese intimiori eius servitio addicat? Cur pars omnium, quae Deus nobis incredibili liberalitate donavit (omni namque divitiarum genere plenus est ad incredibilitatem terrarum orbis) ei redditur, nemine contradicente, praesertim in templis, in quibus aurum, argentum, metalla, lapides pretiosi fulgent, reddere sese ei non poterit aliqua pars hominum, quorum causa tot et tanta condidit? Quare S. Thomas (*loc. cit. cap. 9.*) gravissimis argumentis ostendit, non licere ei, quem Spiritus Sanctus ad illud vitae genus invitat, ne ullo quidem temporis momento Deo vocanti obsistere. *Si enim*, inquit, *voci conditoris exterius prolatae statim obediendum esset, multo magis interiori locutioni, qua Spiritus Sanctus mentem immutat, resistere nullus debet, sed absque dubitatione obedire*: allatisque pluribus Divinorum Librorum locis addit: *Est igitur proprium filiorum Dei, ut impetu gratiae agantur ad meliora, non expectato consilio..... Spiritus autem San-*

etus revelat non solum docendo, quid homo debeat loqui, sed etiam suggerendo, quid homo debeat facere. Cum igitur homo instinctu Spiritus Sancti movetur ad religionis ingressum, non est ei differendum; ut humanum requirat consilium, sed statim homo impetum Spiritus Sancti sequi debet.

Tempus autem, in quo versamur*, inimicorum est*, inquit Augustinus (*in Job. cap.* 38. *v.* 23.) *donec transeat iniquitas, quae quanto magis abundat, tanto magis adversus diabolum acrius pugnandum, atque bellandum est, ne caritas perseverantium refrigescat*. Et ut inquit Hieronymus (*in Amos lib.* 2. *cap.* 9. *v.* 2.) *Homo fragile animal, cuius animae thesaurus in vasis fictilibus et corporeis clauditur*. Idemque alio loco (*in Joel c.* 2. *v.* 18.) *Numquam tuta est*, inquit, *humana fragilitas: et quanto virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus*. Quaerendae sunt igitur latebrae, ut hostibus illudamus; et quo major est temporum iniquitas, eo solertius adeunda loca, ubi religio, pietas, morum innocentia floret. Quo quidem spectat illud Tertulliani (*de Pallio cap.* 5.) *Vita meliore magis in recessu fruare, quam in promptu*.

Definitio prudentiae, inquit alio loco Augustinus (*in Exposit. quarumdam proposit. ex Epist. ad Romanos proposit.* 49.) *in appetendis bonis, et vitandis malis explicari solet. Quapropter recte appellat Apostolus carnis prudentiam, qua haec appetuntur pro magnis bonis, quae non perseverant cum homine, et ne haec amittantur, ti-*

metur, quae quandoque amittenda sunt. Non potest autem talis prudentia legi Dei obtemperare. Sed tunc obtemperatur Legi, cum haec prudentia extincta fuerit, ut ei succedat prudentia spiritus, qua nec in temporalibus bonis spes nostra est, neque in malis timor. Eadem namque animae natura & prudentiam carnis habet, cum inferiora sectatur; & prudentiam spiritus, cum superiora eligit. Assequuntur haec ii, qui vitam religiosam sectantur, qui nempe corpore volunt ea, quae spiritus. Optimi sunt igitur, quoniam optimum vitae genus eligunt, ut *superatis praesentium bonorum illecebris, & paupere vita praeoptata tamquam in coelis oevum agant*, ut inquit S. Gregorius Agrigentinus (*Explan. super Eccles. lib.* 5. §. 5.). Felices igitur sunt. Nihil enim optabilius ea sapientia, non de qua Stoici plurimum ineptissime disputarunt, sed quae vere bonos, idest viros innocentes et sanctos facit. Id qui assequitur, illud assequutus est, quod unum est optandum. *Vere autem felix est*, ait Augustinus (*Enarrat* 2. *Psalmi* 26. *num.* 7.) *non si id habeat, quod amat, sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri magis habendo, quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores.* Qui continentia, & corporis sanctitate *animas suas immolant Domino* (*Hieronym. in Ezech. lib.* 2. *v.* 35.), felices illae victimae sunt caritatis, & sanctitatis, quae super illas quatuor Ezechielis mensas ponuntur, in quibus holocaustum immolatur. Addendus est S. Isidorus Pelusiota, qui *Usque adeo*, inquit, (*in Epist.* 77.) *ad*

salutem conducit recessus ab urbanis tumultibus, *ut etiam Dei Filius relictis urbibus*, *eos*, *qui cum puritate vivunt in montis cacumine*, *beatos praedicarit*. *In quo per ea*, *quae faciebat*, *illud ostendebat*, *fieri non posse*, *ut qui ab inferis rebus minime se abstraxisset*, *atque ad virtutis fastigium ascendisset*, *beatus a Deo censeretur*, *aut futura bona consequeretur*. *Nam qui superna capit*, *illic habitat*, *ubi Christus est in Dextera Dei sedens*. Et alio loco: *Dei Regnum*, inquit (*Epist.* 129.), *Monastica vita est*, *ut quae nulli vitiosae affectioni succumbat*, *verum alta sapiat*, *& virtutes coelo superiores praestet*: Itemque alio loco (*Epist.* 278.) *Monastica vita*, *o amice*, *omnium Dei mandatorum imitatio est*, *ac receptaculum*. *Etenim ab ira*, *improbitate*, *fastu*, *pecuniarum studio*, *sui ipsius amore remota est*: *obedientiam colit*, *omnibus inservit*, *a corpore omnino aliena est*, *ac spiritus dumtaxat propria*: *linguam ad gratiarum actionem proclivem*, *atque ad orationem utilem habet*, *ad maledictum immota est*. Rem eventus mirum in modum confirmat. Numerari namque non possunt Ordinum religiosorum Alumni, quos Ecclesia in album Sanctorum retulit.

Dies deficeret, si ea, quae in hanc rem docent tot sanctissimi, doctissimique Ecclesiae Patres Graeci atque Latini, & quae innumera Ecclesiae monumenta proponunt tradita literis omni aetate, persequi vellem. Commemorabo librum S. Basilii *de laude solitariae vitae*, quam in multis quoque Epistolis saepe commendat: librum S. Joannis Chrysostomi *de comparatione Regis & Monachi*,

ejusdemque libros tres *adversus vitae Monasticae vituperatores*, & S. Ambrosii librum *de fuga Saeculi*, S. Augustini *de opere Monachorum*, & Cassiani *Institutiones*, & ne omnes recenseam, quos praeclarissimi Patres in hanc rem scripserunt, librum S. Thomae Aquinatis *contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu*. Quibus addam praeclarum Sozomeni locum (*Histor. Eccles. lib.* 1. *cap.* 12.) quo pluribus monasticam vitam laudat, ejusque utilitatem demonstrat.

Ex iis, quae hactenus disputata sunt, suo quisque ingenio intelligit, quantam virorum, faeminarumque religiosarum ordines afferant utilitatem universae hominum societati. Accedit, per eos omni aetate ad innumeras gentes divinum christianae Religionis Donum pervenisse: quod & Ordinum ipsorum historia, & Ecclesiastici Annales pluribus persequuntur. Quid adolescentium educationem, aegrorum, & egenorum curam, captivorum redemptionem, pudicitiam collapsam multis locis restitutam, labentem substentatam commemorem? Quid dicam de agrorum cultu, adeo solerter ab iis excogitato? Quid de artibus aut restitutis, aut perpolitis? Quid de veteribus literarum monumentis, nobis cura eorum veluti per manus diligentissime traditis? Quid de bonarum artium studiis?

Quo cum oratio inciderit, innumera quidem essent exaranda volumina, si vellem, merita persequi virorum, faeminarumque religiosarum in Religionem, in Literas, in universam hominum societatem. Hanc vero spartam jamdiu viri praestantissimi ornarunt: praeceteris Mabillo-

nius in Libro *de studiis Monasticis*, ubi etiam viros doctissimos, clarissimosque collegit, qui praeter vitae puritatem, morumque innocentiam, eximiam divinarum humanarumque rerum scientiam sibi in domibus religiosis compararunt. Sed cum mihi omnia praeclara videntur, tum illud mirabile semper visum est, illa aetate, qua in Occidente literae ferme interierant, *Dominicanae*, & *Franciscanae Familiae* alumnos (quorum amplissimorum sanctissimorumque Ordinum maxima in Religionem, in literas, in universam hominum societatem merita nemo unus ignorat) Graece & Latine doctos in Orientem missos esse, qui cum Graecorum doctissimis de fide Orthodoxa, quam ii jamdiu deseruerant, disputarent. Summus enim Pontifex Gregorius IX. anno CHRISTI 1233. Constantinopolim misit Hugonem & Petrum ex Ordine Praedicatorum, & Haymonem atque Radulphum ex Minorum Familia, qui cum Patriarcha de concilianda Ecclesia Graeca cum Latina tractarent. Disputatum acriter est inter illos, veterum Graecorum Patrum Codicibus in medium allatis, de processione Spiritus Sancti, deque azymo; eaque disputatio adhibitis viris Ecclesiasticis Graecis vel dignitate vel doctrina praestantibus, & Luscharae, & Nymphae, & in Bythinia instaurata est. Stuporem facit, illa aetate praestantissimos hujusmodi viros & graece cum doctissimis Graecis disputasse, & graece scripsisse ea, quae leguntur *in definitione* ad eumdem Summum Pontificem, in qua praestantiorum Graecorum Patrum sententiae eleganter copioseque proponuntur. Extant acta

apud Harduinum (*Tom. VII. pag.* 149. *seqq. pag.* 213. 499.). Itemque Innocentius IV. anno 1249. Laurentium Parmensem Ordinis Minorum Legatum in Orientem misit, qui cum Nicaeam cum Sociis venisset, tantam sui, suorumque admirationem excitavit, ut Imperator, & Patriarcha, & universi Clerici, & Populus eum veluti unum ex veteris Ecclesiae Patribus venerarentur. Ejus disputatio adeo valuit, ut Imperator & Patriarcha Legatos de reconciliande Ecclesia Graeca cum Latina ad Pontificem miserint (*Wanding. Ann. Fr. Min. anno* 1249.). Idem munus antea Laurentius ex Familia Minorum biennio obierat (*Idem anno* 1247. *num.* 8.).

Commemorabone S. Thomam, S. Vincentium, S. Antoninum Ecclesiae lumina, quae ex eadem Dominicana Familia prodierunt? Ex qua etiam Cajetanus, Canius, Combefisius, Goarius, Orsius, Mamachius, Fabricius, aliique innumerabiles viri, praediti doctrina & eruditione singulari, prodiere. Quid dicam de S. Bonaventura, & S. Bernardino hominibus literatissimis, Ordinis Franciscani ornamentum, & decus, cuius literarii Annales pluribus aliis doctissimis viris abundant? Praetereo Monachos, quos Maurinorum nomine audimus, & quibus praeter alia multa praeclarissima ingenii monumenta omnes fere Graecos Latinosque Patres ornatos atque emendatos referre accepto debemus. Praetereo B. Thomasium, Christianum Lupum, Norisium, Georgium, Mittarellium, Gerdilium aliosque plurimos magnae doctrinae, et eruditionis viros, aliorum Ordinum nobilissimorum Alumnos, qui libris praestantissimis suis artes, & doctrinas il-

lustrarunt, ut veniam ad illam Societatem, quam primam omnium post tantum rerum divinarum, humanarumque naufragium, quod his postremis annis passi sumus, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER restituendam curavit. Nulla profecto bonarum artium est, quae *Societatis* JESU Alumnis plurimum non debeat. Si elegantiam latini sermonis eximiam quaeris, adi Maffejum, Perpinianum, Lagomarsinium, Mazzolarium, Cunichium: si eos, qui Sacros Libros, Theologiam, & Sanctae Ecclesiae Patres illustrarunt, est in promptu Canisius, Bellarminus, Petavius, Suarez, Salmeronus, a Lapide, Sanchez, Lazzeri, Zaccaria. Quantum autem Sirmondo, Labbeo, Maltreto, Pontano, Possino, Gretsero, Harduino debeamus, qui vetera monumenta praestantissima collegerunt & illustrarunt, nemo est, qui ignoret. Has ego artes, hos ego viros inter innumeros delibavi, ne dicendi modum excederem.

Haec, quae utilitatem Ordinum Religiosorum ostendunt, necessitatem quoque demonstrant. Si enim optimum vitae genus illud est, quod in iisdem eo modo colitur, quo institutum ab eorumdem sanctissimis Auctoribus est, atque ab Ecclesia probatum, certe quidem nemini colere illud genus vitae liceret, nisi iidem essent. Ne igitur desit exercitatio illius, quod optimum est, Ordines religiosi sint, necesse est. In quam rem extat magnorum virorum auctoritas, quae plurimi facienda est: tot scilicet hominum, & sapientia singulari, & innocentia vitae, & morum sanctitate praestantium, qui religiosos Ordines non condidissent, nisi eos quodammodo necessarios existimas-

sent. Atque eos quidem divino actos numine ad id peragendum fuisse, grandis illa sapientia demonstrat, quam Regulae suis Ordinibus datae praeseferunt. In quo illud maxime admirandum occurrit, quod, cum Ordines omnes unum eumdemque finem sibi propositum habeant, unusquisque tamen modum diversum tenet, cuique hominum generi accommodatum, ut tanta eorum varietas, quae finem eumdem assequitur, miraculi loco hominibus cordatis debeat esse.

Neque vero mihi praetereundum videtur, quod tanta sermonis alacritate *Eusebius in secundo libro Ecclesiasticae historiae* (*cap.* 17.) de Terapeutis narrat, eruta ex *Philonis* libro *de vita contemplativa*, sive *de supplicibus*, qui primo Christi saeculo floruit: eos videlicet caste integreque Deum coluisse, sese bonis, fortunisque spoliasse, antequam illud vitae genus amplecterentur: vitam in agris deviis, atque hortis egisse, quod commercia hominum non eiusdem propositi huic Philosophiae soleat obesse: statis horis noctu corpus refecisse, interdiu meditando, & commentando operam Philosophiae dedisse; cumque temperantiam tamquam totius aedificii fundamentum posuissent, caeteris deinde virtutibus diligentissime studuisse. Id autem virorum ac faeminarum genus in multis regionibus praesertim in Aegypto extitisse, et inter eos graecos barbarosque fuisse, eodem Philone teste locupletissimo narrat. Quibus addit, *ex omnibus orbis terrarum partibus optimos quosque viros trans Mariam Paludem tamquam in patriam Therapeutarum migrasse*. Etenim si Christiani hi fuerunt, quemadmodum Eusebius acriter

contendit, & Cotelerius (*in Codicem Canonum Ecclesiae primitivae Synopsis cap. 5. tom. 2. Patrum Apostolicorum*) Beveregius (*de jejunio quadragesimali cap. 5.*) Thomas Bruno (*in Epist. S. Clementis ad Corinthios*) aliique arbitrantur; sequitur, jam in ipsis Ecclesiae incunabulis necessarium pluribus viris aeque ac faeminis optimis visum esse, in religiosas huiusmodi societates coire, ut optimum vitae genus, quo alter alterum verbis atque exemplis ad virtutem impellit, amplecterentur. Sin Judaei fuerunt, qui jam ante Christianam religionem institutam ex multis orbis terrarum regionibus in tam late patentes societates cojerant, ut Scaligero, Valesio in eum Eusebii locum (*Edition. Paris pag. 34. & seq.*) aliisque videtur; patet, optimum quemque semper putasse, societates huiusmodi optimae vitae colendae causa necessarias esse. Addendi his essent Hessenii, aliarumque gentium Philosophi, quos eruditi viri longe ante Christum natum quamdam Monasticam vitam egisse arbitrantur (Vide *Ugolinum Dissert. Trihaeresium in Volum. XXII. Thesaur. antiquit Judaic. pag. 1.*)

Auctoritas vero Ecclesiae, quae religiosos Ordines laudat, fovet, & plurimis privilegiis ornat, omnem tollit disputandi occasionem. De quo quidem plura verba facienda non sunt, cum Ecclesia, quae a Christo gubernatur, et regitur, errare non potuerit. In quam rem nobilissimus S. Joannis Chrysostomi locus praetereundus non est, qui in primo libro *adversus vituperatores vitae monasticae* haec inquit: *Vellem equidem & ipse, neque segnius quam*

vos, imo vero multo etiam ardentius, & frequenter optavi, ac deprecatus sum, tantum leges, ac jura optima in civitatibus valere, ut nihil jam opus esset monasteriis, neque ad Eremum confugere, cuipiam necessitas instaret. Quoniam vero quae supra fuerunt, infra jam facta sunt, ipsaeque Civitates, in quibus & judicia & leges erant, omni iniquitate, & scelere repletae sunt: solitudo Philosophiae fructus uberrimos germinat: profecto non illi in culpa sunt, qui hac procella & turbine se eximere ac servare cupientes educunt, eisque ad quietis & tranquillitatis portum duces fiunt: non, inquam, isti merito a vobis culpari debent, verum hi, qui civitates singulas adeo instituti invias & inacessas fecerunt, atque ad Philosophiam penitus inutiles, ut qui salvi esse cupiunt, non aliter id possint assequi, quam si solitudinem & deserta prosequantur. Dic enim, quaeso te, si quis noctis medio, assumpta face, domum incendisset magnam, ac multitudine hominum refertam, eos, qui intus obdormirent insidiis appetens: utrum esse dicemus malum, atque suppliciis omnibus afficiendum, eumne, qui excitaret dormientes, & illis aedibus educeret, an eum, qui initio ignem illum succendisset, adeoque duram necessitatem & eis ipsis, & illi, qui eos educeret, imposuisset?... Non itaque velim, arbitreris, meliori in statu modo res humanas esse, quam civitatem tiranno occupatam, verum in longe deteriori. Neque enim homo aliquis, sed daemon quidam iniquissimus, tamquam tirannus immanis, atque atrox cum universis suis copiis, & phalange tota, universum simul orbem

occupans, *in humanas animas grassatur*. Idemque in libro *de comparatione Regis*, & *Monachi*: *Rex igitur*, inquit, *urbium*, *regionum*, *tam multarum gentium praefecturam gerit*, *praetores*, *propraetores*, *exercitus*, *Populos*, *senatum suo unius nutu agens*: *at vero qui seipsum totum Deo dedit*, *solitariamque vitam eligit*, *irae*, *invidiae*, *avaritiae*, *voluptati*, *caeterisque animi morbis imperat assidue speculans*, *ac meditans*, *quemnam in modum non committat*, *ut suum animum obscaenis affectibus non subjiciat*, *neu amare tyramnidi ratio inserviat*, *sed super res humanas omnes cogitationem semper erectam habeat*, *Dei timorem animi morbis praeficiens*. *Hujusmodi igitur imperium Rex*, *hujusmodi item Principatum Monachus adeptus est*: *ut justius quidem hunc Regem voces*, *quam eum*, *qui purpura indutus*, *ac corona ornatus splendescit*, *throno in aureo sessitans*. *Nam is demum vere Rex est*, *qui iram*, *qui invidiam*, *qui voluptatem cohibens*, *omnia sub Dei Lege agit*, *mentem liberam servans*, *neque patiens*, *voluptatum dominationem animo suo imperitare*. *Talem equidem Regem libens viderem* & *populis*, & *terrae*, & *mari*, & *civitatibus*, *exercitibus jura dantem*. *Quisquis enim animi affectibus rationem magistram praefecerit*, *is parvo admodum negotio* & *hominibus una cum divinis legibus praefici possit*, *ut eumdem patris loco subditi habeant*, *cum omni mansuetudine civitatibus consuetudinis suae copiam facientem*. Audi quoque in hanc rem S. Gregorium magnum ita disserentem (*Epist. 65. ad Mauritium Augustum*): *Multi*

enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possint. Alio denique loco (*in Job. cap.* 3.) plura in rem eamdem persequitur.

Hoc autem tam pium, tamque salubre studium, inquit S. Thomas (*loc. cit. circa medium*) *diabolus humanae salutis aemulus, per homines carnales, inimicos Crucis Christi, terrena sapientes, ab antiquis temporibus impedire non cessat.* Nam cum virorum faeminarumque religiosarum societates foventur, defuturos milites insinuat, qui rempublicam tueantur, & colonos, qui agris serviant, & negotiatores, qui commercia exerceant, & artifices, qui opificia substentent: & si quid vir aut faemina religiosa offenderit, ex eo libenter calumniandi occasionem arripit. Quae cum sunt plena ineptiarum & calumniarum, tum multa luculentissime refellunt, quae in libris ab aliis editis, praesertim adversus superioris, nostraeque aetatis perditissimos, prorsusque *analphabetas* philosophos scripta sunt. Sed rem meo quidem judicio conficit animadversio, quod maxima Regna, & Imperia longo saeculorum cursu & domi & foris, & pace ac bello mirum in modum floruerint, cum innumeras pene societates virorum, faeminarumque religiosarum foverent. Quod negare nemo audebit, qui Gallorum, Anglorum, Hispanorum, Germanorum historiam paullisper cognoverit. Quid autem de ipso Imperio Romano dicam, quod illa praesertim aetate maximum fuit, qua innumerabiles pene erant ubique locorum Societates virorum, faeminarumque religiosarum,

quarum unaquaeque familia in locis singulis praesertim in Syria, Mesopotamia, atque Ægypto incredibilem virorum et faeminarum numerum complectebatur? Auctor est Hieronymus (*contra Vigilantium num.* 16. & *Epist.* 22. *n.* 35. *seq. Edit. Vallar.*) innumeros eos fuisse, & ad multa millia convenire in unum locum statis diebus solitos esse: idemque alio loco (*in Isaiam lib.* 5. *c.* 19. *v.* 23.) innumera pene Monachorum millia in Ægypto, Syria, Mesopotamia fuisse testatur, ut qui una tantum regula Monachi utebantur, colendae Dominicae passionis causa singulis annis ad quinquaginta millia convenire in unum locum consuevisse (*in praefat. ad Reg. S. Pacomii Vol.* 2. *Edit. Vallar.*) quo loco Vallarsius animadvertit, libros omnes manu exaratos in ingentem illum numerum consentire. Multa quoque eorum millia Augustinus in Ægypto, et in toto orbe Romano commemorat (*de unitate Ecclesiae num.* 43. *Confession. cap.* 11. & *de moribus Ecclesiae Catholicae num.* 65. *seq.*). Multa tandem, ne singula persequar, in Nitria, in Palaestina, in Syria, aliisque locis, qui *in infinitam pene multitudinem excreverunt*, Sozomenus longo sermone refert (*Hist. Eccles. lib.* 6. *cap.* 31. *seqq.*). Quae cum ita essent, numquam tamen Imperio Romano, quod magnam Asiae & Africae partem, totamque pene Europam complectebatur (*Vide Justum Lipsium de Magnitudine Romana lib.* 1. *cap.* 2.) quodque cum omnibus ferme finitimis barbaris, ac potentissimis gentibus bella gerebat, Milites, vel Coloni, vel Mercatores defuerunt.

Quod si quandoque accidit, ut sive vir, sive faemina religiosa non ita vixerit, uti eius instituti ratio postulat, non inde hostes Ordinum religiosorum capere argumentum calumniandi audebunt, si meminerint, *escas electas* quaeri a diabolo magis solere, ut illustrior ejus victoria sit; et si praeclarum illum Augustini locum recogitent (*in Epist. S. Joan. ad Parthos tract. 4. num. 4.*) *Quam multi vocantur Medici, qui curare non norunt? Quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt?* Quae sententia cum latissime pateat, nemini non potest justam medicinam praebere. Contra vero quid detractores mussitant, cum passim vident homines religiosos *castos & humiles quocumque locorum pervenerint, omnia vitae propriae integritate purificare?* Quod dictum ab Imperatore Justiniano de Episcopis (*Lege 31. Cod. de Episcop.*) libenter de viris faeminisque religiosis usurpo. *Sed hi Philosophi, quos animales reor esse*, ut utar verbis Hieronymi (*in Epist. ad Galat. lib. 3. cap. 5. v. 16.*) *quia proprios cogitatus putant esse sapientiam, de quibus recte dicitur* (*1. Cor. 2. 14.*) *Animalis autem homo non recipit ea, quae sunt spiritus: stultitia quippe est ei*; hi, inquam; Philosophi quaeque vel minutissima, quae improbanda sunt, lynceis oculis vident: maxima, quae essent laudanda malo quidem fato suo sese non videre dissimulant. Utar ego in eos S. Augustini verbis in primo libro de Moribus Ecclesiae Catholicae (*num. 66. seq. tom. 1. Edit. Maur.*) *Nihil de iis dicam, qui secretissimi pene ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur,*

& aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus adhaeserunt, & ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quae nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis, res humanas, plusquam oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit; & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Tantum isti admonendi sunt; qui sese inaniter jactant: in tantam processisse temperantiam, & continentiam sanctissimorum Catholicae fidei Christianorum, ut restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines revocanda videatur: usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis, quibus id displicet, judicatur. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur, & praedicet, qui contemtis, atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi: sed modesti, verecundi, pacati concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt. Haec est etiam vita faeminarum, Deo sollicite, casteque servientium, quae habitaculis segregatae, ac remotae a viris quam longissime decet, pia tantum illis caritate junguntur, & imitatione virtutis: ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum, & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria praebendi, quibus in-

digent, gratia .... Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo, & vereor, ne judicare videar, per seipsum tantummodo expositum, placere non posse.

Sequuntur Theses, maiorum more ad disputandum propositae.

THESES

Ex Lege Omnia privilegia XXXV. Cod. de Episcopis Clericis Monachis &c. Lib. 1. *tit.* 3.

I. Ordines Religosos Societati, et Reipublicae non obesse, exploratum est.

II. Imo Eos nedum plurimum prodesse humanae Societati;

III. Verum et esse aliquoties necessarios, multorum quoque Saeculorum experientia demonstrat.

IV. Non immerito hinc iis, eorumque rebus vel a Principibus Laicis plura in eos beneficia collata sunt:

V. Ex quibus etiam Viri, ac Faeminae religiosae haberent, quae sumptibus necessariis suppeterent.

VI. Sic caetera inter ex Romanorum quoque Imperatorum sanctionibus quaecumque locis piis irrogata sint privilegia, eadem cum domibus Virorum, ac Faeminarum religiosarum communia esse debent.

VII. Tum religiosae domus, ac Monasteria in Monachorum, Virginumque Sacrarum bona succedendi ius habent.